

B. M. II, 129.
h. 32, 10.

X 1876140

II R
1856

Q. D. B. V.
DE

REGIMENTO
S. R. IMPERII,

MODERANTE

L. ADAMO RECHENBERG, P. P.

Præceptore devenerando,

in

ACADEMIA LIPSIENSI,

d. XXXI. Mart. M. DC. XCIV.

publice differet

ADAMUS FRIDERICUS ab ENDE,
Eques Misnicus.


L I P S I Æ,

Literis CHRISTOPH. FLEISCHERI.

10

a. 11





L
D
V
E
V
M
T
M



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO,
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLI-
VIÆ ET MONTIUM, ANGRIÆ
ET WESTPHALIÆ, LANDGRA-
VIO THURINGIÆ, MARCHIONI
MISNIÆ, PRINCIPALI DIGNITA-
TE COMITI HENNEBERGÆ, CO-
MITI DE MARCA ET RAVENS-
BURG, DYNASTÆ IN RAVEN-
STEIN ET TONNA,

*PRINCIPI AC DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO,*

Vitam, Salutem, atque Felicitatem perpetuam!

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME.



TE SOLEM Patriæ nostræ superioris anno ex voto redditum, omnes boni cives cum gravissimis Aulæ Tuæ Ministris lætantes excipiebant, piis gratulationibus inter se velut certantes, quod nubila, quæ tristem ante Patriam reddiderant, gratiæ Tuæ radiis affulgentibus discussa nunc viderent omnia. Auctum mox commune Patriæ gaudium, cum *Augustissimus* LEOPOLDUS, *Cæsar Invictissimus*, qui Tuum, *Clementissime Domine*, animum & virtutem virilem ante annos animadverterat, TE ditionum Tuarum Regimen aggredi indulgentissime concessisset. Omnia votis & lætis applausibus perstrepebant. Proceres curam hæctenus Patriæ sollicitè gestam,

lubentissime in TE, DOMINE, devolve-
bant, ut Tuo in posterum nutu regeres.
Populus gaudebat, Tanto Genitore di-
gnum videre in folio Patris sedentem Prin-
cipem. Communis vox, vötumque erat o-
mnium, *Salus Principis!* Omnes etiam Di-
vinum Numen sollicitabant precibus, ut
novum *Principis tanti* Regimen fortuna-
ret, atque FRIDERICUM *Divi Patris*
& *Sanctissimi Avi* virtutes æmulantem, in-
feros annos servaret incolumem. *Vivat!*
Vivat! FRIDERICUS Noster, Princeps
Optimus, Delitium populi, omnes læta
voce ingeminabant, cum obsequia sua
TIBI, *Clementissime Domine*, denuo subje-
ctissime obstringerent. Quid ego a gra-
tiosissimo vultu Tuo remotus, in Musa-
rum quippe Academicarum castris mili-
tans facerem? Ardebat animus in vota pu-
blica cum aliis erumpere, ne ulli civium
Tuorum fidelium pietate cessisse viderer.
At, cum illud coram facere mihi non lice-
ret, absens debitum certe cultum alio do-


cumento testari nitebar. Atque cum alius non suppeteret modus, visum est, more alumnorum literariorum, charta aliqua Academica, unde simul TIBI, *Domine Clementissime*, de studiorum meorum qualiumcunque ratione constaret, devotissimum declarare animum. Levidensis illa est Differtatio de REGIMENTO S. R. IMPERI, quam vires ingenii mei periclitaturus, composui, *Tuoque Serenissimo Nomini* inscribere ausus sum, spe fretus, fore, ut hanc *Tibi* propria, hoc est, serena fronte acciperes, cum a devotissimo cive seu Vasallo, qui se servitiis *Tuis* præparare studet, proficiscatur. Id, quod humillime precor; Deum Ter Optimum Maximum veneratus, ut vota omnium piorum civium pro *Salute Tua*, sub auspiciis Regiminis novi facta jam, rata esse omnia jubeat clementissime!

Serenissimæ Celsitudinis Tuæ

Lipsiæ prid. Calend. April,
M. DC. XCIV.

devotissimus & subjectissimus servus
ADAMUS FRIDERICUS ab ENDE.





Q. D. B. V.

INDEX DISSERTATIONIS

De

REGIMENTO S. R. IMPERI.

- §. 1. *Cur in Imperio R. G. comitia, judicia & senatus publicus, (qualis Regimentum) instituta.*
2. *Ejus historia consideratu digna.*
3. *Nomen Regimenti Latinum, ejusque significatio.*
4. *Regimentum descriptio.*
5. *Primus Regimenti autor Maximilianus I. Imperator.*
6. *Alter ejus autor vel instaurator Carolus V. Imper.*
7. *Locus Regimento assignatus.*
8. *Causa impulsiva instituti Regimenti, mala Reipublica:*
9. *Eorum origo.*
10. *Potestas Regimenti ex Ordinatione ejus aestimanda & distinguenda:*
11. *Objectum illius etiam res ad curam Religionis pertinentes.*
12. *Potestatis Regimenti amplitudo:*
13. *Major illa, potestate Camera Imperialis.*
14. *In hac determinanda opus est temporum distinctione.*
15. *Assessorum Regimenti numerus, ordo & qualitas:*
16. *Modus illos constituendi pro Ordinum Imper. diversitate diversus.*
17. *Quomodo locus Assessorum vacans supplendus.*
18. *Assessorum juramentum & privilegia.*
19. *Regimentum decreta, quo nomine publicanda.*
20. *Regimentum constitutio, per modum pacti & contractus inter Caesarem & Ordines Imperii, facta.*



22. *Comparatio Regimenti cum antiquis Græcorum confessibus*
23. *Cur Hippolitus a Lapide historiam Regimenti vitiârit.*
24. *Ejusdem cavillationes contra autoritatem Cesaris in Regimento.*
25. *Argumentum ejus de subrogatione Regimenti in locum Comitiorum perperam explicata, examinatur & refellitur.*
26. *Ejusdem criminationes adversus autorem Regimenti diluuntur.*
27. *Caroli V. autoritas circa institutionem Regimenti defenditur.*
28. *Regimenti actus juris ex historia comitiorum recensentur varii.*
29. *Regimentum in causa Fr. Siccingii postulatur iniquitatis.*
30. *Regimentum Eslingam translatum in causa Religionis, factioni Romanensium favet:*
31. *Argentinesibus fœdus cum Helvetiis in initum exprobrat.*
32. *Causa desinentis Regimenti ab Hippolito tribuitur Carolo V. Imper.*
33. *Veræ ejus causæ ex historia illorum temporum exponuntur.*
34. *Abrogatio Regimenti non invito Carolo V. facta.*
35. *Quando cessaverit.*
36. *Judicium politicum de Regimento extincto.*
37. *An in Regimenti locum judicium Aulicum surrogatum? quod negatur, sine dissertationi imposito.*

§. I.



Cum omnia Regna, quæ in absolutæ Monarchiæ formam redacta non sunt, comitiis crebrioribus, aut senatu aliquo opus habeant publico, in quo de negotiis Status civilis, consensu Ordinum Regni adhibito, consultetur & decernatur; tum S. ROMANO-GERMANICUM IMPERIUM, postquam a justa Regni forma deflexit, similibus institutis indigere maxime visum est. Nam etsi exterior ejus facies & recepta, simulacra, Regnum aliquod (quale & olim fuit) præ se ferant;

rant; imminuta tamen postea Cæsaris autoritate, Principumque ac Ordinum libertate aucta, imperante jam Maximiliano I. regium imperium non nisi valde limitatum fuisse, omnibus historiæ rerumque civilium peritis abunde constat. Hinc cum Imperator laudatissimus, incommoda ex minus concinna Imperii forma fluentia, quæ Germaniam hæctenus mire afflixerant,prehendisset; ex eodem tempore, quo solus imperavit primum, tollendis ejusmodi Reipublicæ malis, non tantum cum Ordinibus Imperii *Judicium*, quod vocant, *Camerale* (des Kayser's und des Reichs Cammer-Gerichte) constituit, jusque Austregarum confirmavit, ac pacem profanam & publicam (den Königl. chen Land-Fried) sancivit; sed post illa salutaria Imperii præsidia, REGIMENTUM quoque, hoc est, *Senatum Imperii* instituit *publicum*, qui salutis hujus juxta cum ipso curam gereret sedulo, ut illa publice in Germania hæctenus varie turbata vigeret.

§. 2.

Prudentis ergo hujus instituti *origo, indoles ac usus* describi merentur: ut, qua cura & sollicitudine res Imperii turbatas ante Optimus Imperator componere, atque salutem patriæ communem, quantum licuit, promovere ipse contenderit, magis adpareat. Ideo & dignum hoc argumentum, in quo vires meas qualescunque ingenii periclitarer, existimavi. Ne vero confusa tractandi ratio lectori tædium pariat, ordinem in præmissis rerum indice designatum sequar, rem illam ex alto, sed prælucente historia, non ita prolixè expositurus.

§. 3.

Ac primum quidem ipsum nomen REGIMENTI hic Germanice usurpatum, quod attinet, legitur illud apud *Ammianum Marcellinum l. XXV. c. 9. Tu hoc loco, inquit, For-*

tuna Orbis Romani merito incusaris, quæ difflantibus procellis Remp. excussa REGIMENTA perito rei gerenda ductori, consummando juveni porrexisti. Non dissimili plane significato, occurrit in Jure Romano, l. 1. in fin. princip. D. de Offic. Præf. Prætorio. Scriptor seculi undecimi Constantinus Africanus l. XIV. Pantechn. c. 1. translatione quadam facta, eo etiam usus, ait: Omnium corporum REGIMENTA aut ex anima sunt & natura, aut ex sola natura: quia natura regit corpora & inanimata: sola vero animata regit anima. Sed hic stylo Germanorum curiæ, pro Senatu, accipi, ex ipsius Maximiliani I. Ordinatione Regimenti (Ordnung des Regiments) Augustæ anno 1500. & Caroli V. Imperatoris Constitutione Regimenti in Comitibus Wormat. a. 1521. facta constat. v. RECESS. IMPERII dict. ann. Ubi & Germanice Rath/ item Unser (Cæsaris) und des H. Reichs Rath nominatur; quippe communi Cæsaris & Ordinum Imperii consensu, & autoritate institutum. Ita enim Carolus V. in comitiis Imper. a. 1521. tit. de Regimenti §. 9. discretè sancit: Und soll obgemeld unser gesezt Regiment in unsern Abwesen stehen/ und zu unserer Ankunfft ins Reich in Germanien den Nahmen eines Raths haben/ mit dem ersten Gewalt in angefangenen Sachen.

§. 4.

Describere inde licebit REGIMENTUM hoc, quod sit summus S. R. Imperii Senatus, a Cæsare & Ordinibus illius institutus, ut pro plena potestate concessa, justitiam administraret petentibus, curamque pacis ac belli publico nomine gereret, atque de iis, more alias in comitiis annuis recepto, publice decerneret, decretaque illa mandaret executioni.

§. 5.

Autor ejus, ut jam diximus, primus fuit Maximilianus I.

mus I. Princeps ac Imperator non minus pietate ac justitia, quam prudentia profunda insignis. Qui, cum in Comitibus Augustanis anno 1500. indictis, de publica Imperii salute valde esset sollicitus, cum Ordinibus Imperii presentibus, non tantum declaravit & supplevit etiam, quæ in Wormatiensibus decreta fuerant de *Pace Publica & Ordinatione Camera, in Recessibus Imperii, titulis Erklärung des Land-Friedens zu Augspurg Anno 1500. aufgerichtet: &: Cammer-Gerichts-Ordnung zu Augspurg Anno 1500.* Verum etiam matura deliberatione cum Statibus in Comitibus habita, *Senatum hunc, d. 2. Jul.* anno jam dicto constituit, ac, ne summam omnium rerum potestatem sibi arrogare videretur, Ordinum potestatem, quam in tali instituto cum ipso communem habebant, libenter meritoque admisit. v. *Recess. Imper. a. 1500. initium.* Bis igitur erravit hic *D. Job. Theodorus Sprengerus*, qui in *Jurisprudentia sua Publica, pag. m. 56.* Regimentum à Maximiliano I. A. Christi 1501. institutum, sed à Carolo V. in Comitibus Wormatiensibus A. Chr. 1521. abrogatum scribit. Quod magnam historiae civilis ignorantiam aut negligentiam arguit.

§. 6.

Equidem nepos Maximiliani, *Carolus V.* Imperator Princeps, quo Germania post Carolum M. & Ottonem M. non vidit majorem, in primis Comitibus Wormatiæ a. 1521. habitis, *titulo Römischer Königlich Majestät Regiment/ auff dem Reichs-Tag zu Worms a. 1521. auffgerichtet/ §. 1.* hoc Regimentum Imperii constituisse videtur. Enimvero si antegressa tempora respiciamus, magis ille Senatam hunc jam ab avo suo quidem institutum, sed qui vitio temporum illorum exspiraverat, (ut ex *Recess. Imper. Comit. a. 1512. tit. 3. von Gotteslästern §. 21.* colligitur) resuscitavit, instauravit, atque limitata ejusdem potestate denuo

denuo confirmavit, aucto etiam Assessorum numero. Nam Maximilianus I. *tit. 2.* der Ordnung des Regiments/ *viginti* tantum Assessores nominaverat; hic vero *citato titulo duabus* additis, eorum numerum fecit ampliorem. *v. cit. tit. §. 1.* Atque hoc ipsum etiam in *Capitulatione sua num. 3.* ante promiserat. (Wir sollen und wollen) darzu ein löbliches ehrliches Regiment / mit frommen / annehmlichen / tapfern / verständigen / redlichen Personen teutscher Nation neben etlichen Churfürsten und Fürsten / wie vormahls bedacht / und auf der Bahne gewesen / wie zum geschicklichsten zu bedencken seyn mag / aufrichten und stellen / damit die Mängel / Gebrechen und Beschwerden allenthalben im H. Reich abgelegt / reformirt / und in gutes Wesen und Ordnung gebracht werden *zc.* A multis jam observatum est historicis, initium factum hic restringendæ arctius potestatis imperatoriæ, svadente tempore & personæ electæ conditione, idque formula conventionis, exemplo in futurum valituro. Cæterum adparet inde, institutum ante Regimentum non fuisse satis firmatum, aut in desuetudinem abiisse. Quid enim opus fuisset nova velut constitutione, si ante jam illud in Imperio viguisset, ut quidem Maximilianus intenderat?

§. 7.

Locus, ubi Senatus hic novus Imperii residere primum jussus est, Maximilianus designaverat *Norimbergam*, quem non nisi gravissima urgente causa, mutare, aut alio transferre liceret. *v. Recess. Imperii, loco citato.* Eandem urbem & Carolus determinavit; liberiori tamen mutandi eum facultate ipsius Regimenti Præsidi ac Assessoribus permissa, *juxta R. I. Römischer Königlichem Majstat Regiment §. 8.* und soll unser Regiment gen Nürnberg gelegt / und daselbst die ersten anderthalb Jahr gehalten werden. Und nach verschienen anderthalb Jahren / wo wir nicht im

im Reich wären / sollen Stadthalter und Regiment
Macht haben/so sie allgemeynlich/ oder mehrer Theil Noth
bedüncken wird/die angezeigte Wahlstadt/nach Gelegen-
heit der Sachen und Händeln zu verändern. Derglei-
chen/ obs in derselben Zeit mercklicher Sterbläufft / oder an-
derer ehehafften Ursachen halben die Nothdurfft erfordert/
mögen sie solch Regiment obgemeldter massen auch verrücken.
Atque hoc postea evenisse, ex decreto Comitiorum Spi-
rensiū a. 1529. habitorum, quod apud Goldastum, tom. III.
Constitut. Imperial. fol. 499. extat, manifestum est. Nam
§. 29. statutum est, ut Regimentum simul & Camera, gravis-
simis de causis, iisdemque per necessariis, praesertim in hoc praesentium rerum & temporum statu, per supra dictum biennium Spira persistat, nec inde transferatur. Imo jam ante a. 1523. cum certa ex causa Regimenti Assessores ante dimissi essent, *Eslingæ* iterum ad restituendum Collegium alii convenerunt. v. *Rec. Imp. comit. Norimb. a. 1524. §. 2.* & *B. Sekendorff. Hist. Lutheranism. l. 1. sect. 58. §. 163. & addit. 1.*

§. 8.

Causa hujus instituti Regimenti a Maximiliano allegantur belli pericula, maxime quæ a Turcis invalescentibus Imperio tum imminere cœperant. v. *Initium Ordinat. Regimenti a. 1500.* Carolus autem Imperator præter belli negotia, etiam communia Germanici Status mala aut vitia, quæ passim invaluerant, pro hujus instituti ratione adfert. Talia enim sub auspiciū Imperii deprehendisse se fatetur: *Grosse Mängel an Fried und Recht/ auch guter Ordnung und Policeny / daraus dem H. R. Reich viel und mercklich entzogen / auch sonst in Abnehmung / Zerrüttung und Verwüstung dermassen gewachsen / daß / wo dem mit zeitigem Rath nicht begegnet / es in kurzer Frist gar zertren-*
B nes

net und verrückt werden möchte. v. Römisch. Königl. Maj.
Regiment *Recess. Imper. a. 1521. init.* Quæ, si tempo-
rum illorum historiæ consulantur, omnino verissima sunt.
confer *R. Imper. Norimb. a. 1522. initio.*

§. 9.

Origo istorum malorum partim ex licentia quorun-
dam Statuum usurpata, partim ex judiciorum publicorum
contemptu aut mala administratione, partim ex insidiis ho-
stium Imperii, partim etiam ex curia Romana derivari po-
test. De hujus enim iniquitate præcipue loqvuntur *S. R.
Imperii Principum ac Procerum Gravamina centum, quæ ad-
versus Sedem Romanam, ac totum Ecclesiasticum Ordinem,
Oratori Pontificiæ Sanctitatis, in Comitibus Norinbergensibus
a. 1522. & sequenti, fuerunt proposita, apud Goldastum Tom.
III. Constitut. Imper. fol. 437. & amplissimum D. Schilterum
de Libert. Eccles. German. libr. VII. c. 2. §. 10. nec non Sleida-
num libr. IV. commentar. pag. 87.* Quanquam his tollen-
dis Regimentum manum admoveere intermisit, cum ipse
Pontifex Romanus a studio emendandi vitia diu inolita,
alienus esset. Cujus causam *Pallavicinus hist. Concil. Tri-
dent. libr. II. c. 7. §. 14.* prodit: *Iis omnino, inquit, postula-
tis Norinbergæ exhibitis, si Pontifex indulgisset, ejus autoritas
deserta jacuisset, & dum recuperandis laicis & reconciliandis
bæreticis studeret, obsequentium sibi Germanorum Antistitum
jacturam fecisset.* conf. *Goldasti Polit. Imperial. Part. XXIII.
& Constitut. Imperial. Tom. I. fol. 447. & Tom. II. fol. 119. sqq.*

§. 10.

Quod ergo derivatam inde potestatem Regimenti atti-
net, omnia Imperii negotia publica in Comitibus annuis ali-
às solennibus tractari solita, huic commissa videbantur.
Daß nun hinführo das verordnete Regiment alles und jedes
zu handeln/ zu thun/ und zu lassen haben soll / was die
jähre

jährliche Versammlung / (Comitia) zu thun gehabt / oder haben solle. v. *Institut. Regimenti a. 1500. tit.* Von des Reichs Regiments Macht etc. *vers. fin.* Quæ tamen potestas a Carolo V. postea coarctata fuit. Status quippe Republicæ tempore illo, turbulentus valde poscebat, ut, quod in Comitibus Wormatiensibus a. 1495. *tit.* daß ein Reichstag soll einen Monat wahren / decretum erat, singulis annis Comitia haberentur. Cum vero illa res onerosa videretur multis, neque tam late fufum corpus ac vastum membra sua tam cito ac prompte moliretur; visum est Cæsari & Ordinibus Imperii, firmum constituere Senatum; ne quid ad subita deesset consilii auxiliique. *Conf. Speideli Notabilia Juridico-Historico-Politica Selecta, voce Regiments-Räthe. Conringii Exercitat. de Comitibus Imperii §. 36. Dominici Arumæi de Comit. R. German. c. IV. n. 50. & Paurmeist. de Jurisd. Imp. Rom. l. II. c. 6. §. 104.* Itaque Regimento amplissima de pacis bellicque rebus, in Imperio statuendi & exsequendi potestas a Maximiliano I. consensu Procerum Imperii collata fuit; item Justitiam administrandi, de quibuscunque querelis subditorum cognoscendi ac statuendi, pacem ac tranquillitatem publicam tuendi, bella contra Turcas & alios Imperii hostes suscipiendi. &c. v. *Ordnung des Regiments / tit. von dem Zwanzigsten etc.*

§. II.

Inde ad hoc postea etiam relatæ fuerunt querelæ istæ hac tempestate ex Reformatione Ecclesiæ exortæ. Cum enim Lutherus divino auspicio excitatus, & a. 1521. à Cæsare Wormatiam evocatus, libros suos, nisi errorum ex sacris literis convinceretur, retractare abnuisset; REGIMENTUM Electore Palatino præsidente, die 20. Jan. a. 1522. mandatum hac de causa ad Principes publicavit, ut coër-

cerent profanatores S. Coenæ, communionem, quam vo-
cant, sub utraque usurpantes, & Clericos uxoratos. Hoc
exasperans Georgius Dux Saxonæ, acerrimus Lutheri ho-
stis, qui eo tempore ex Principum Ordine confessui aderat,
condito Norinbergæ circa idus Febr. edicto, in sua provin-
cia carceri includi & pœnæ servari jussit Monachos & Pres-
byteros, qui Luthèri doctrinam amplecterentur, tum o-
mnes, qui sub utraque communicarent: revocari etiam
mandavit, qui studiorum causa in Academiis & scholis no-
va doctrina imbutis versarentur. Philippus etiam Fris-
ingensis & Numburgensis Episcopus mandatum Regimenti,
sed ut conceptum erat, publicari curavit, d. 24. Febr. v.
*Tom. II. Opp. Luth. Altenburg. fol. 86. sqq. B. Seckendorffii Hist.
Lutheran. lib. I. Sect. 48. §. 118.* In simili causa Regimen-
tum, Johanni, Episcopo Misnensi mandatum dederat, v.
Luth. Tom. II. German. Jenens. fol. 93. sqv. Mandata hæc
cura Regimento etiam *in R. Imp. a. 1524. §. 29.* fuerat.

§. 12.

Cæterum de plena potestate ejusque partibus *Regi-
menti* ex Imperatoris & Ordinum Imperii voluntate con-
cessa, testantur verba supra allegatæ Ordinationis Regi-
menti tum Maximiliani I., tum Caroli V. clarissima: IL-
LE tribuit eis **vollkommene Gewalt / Macht und Be-
fehlch / item: Sonderlich von uns Macht und Gewalt
haben sollen / den wir ihnen auch Krafft dieses Brieffes geben /
alle und jede unsere / als Römisch. Königs und des H.
Reichs Sachen / Recht / Friede / und daß ihr bey der Voll-
ziehung und Handhabung auch Widerstand wider die Un-
gläubigen und andere Anfechter der Christenheit / des Reichs /
und das an den Frieden / Rechten / ihrer Handhabung und
den Widerstand obgemeldet / hanget / 2c. tit. Von dem
Zwanzigsten / so zu der Königl. Maj. und des H.
Reichs**

Reichs Regiment geordnet / und ihre Gewalt: *HIC*
(Carolus) *loco supra allegato §. 1.* Daß dieselben zwo und
zwanzig Personen samt unserm Stadthalter / unser Regt-
ment im H. R. Reich seyn / und vollen Gewalt / Macht
und Befehl haben sollen / den wir ihnen auch hiermit und in
Krafft dieses Brieffes geben *rc. Sequenti §. 3.* Regimento
etiam potestatem adversus impugnatores fidei Christianæ
concedit. Sed §. 4. excipit jus investituræ exercendæ,
quæ vexillo fieri solebat, quod sibi Cæsar reservavit; per-
missa tamen illi potestate, ut se absente, moram unius an-
ni petentibus majoris feudi investituram, indulgere posset;
in minoribus autem feudis investituram concedendi ple-
num Regimentum jus habebat, *tit. allegato §. 6.* Exci-
piuntur tamen causæ feudales illustres §. 7. Ob auch
Sachen fürfielen / Fürstenthum / Graffschafften *rc.* belan-
gend. item conventiones foederum. §. 3. Atque hoc ar-
gumento est certissimo, Carolum potentia majori nixum,
Regimenti potestatem restrinxisse, ne suæ quid decederet
autoritati.

§. 13.

Manifestum tamen est, Senatum hunc majori autori-
tate ac potestate polluisse, quam Cameram Imperialem;
quippe in quam ipsi cum Præside inspectio & cura, ut o-
mnia justo & debito modo fierent, demandata fuit. *Ordin.*
Regiment. a. 1521. §. 10. In jure dicendo æqualem potesta-
tem, seu, ut loquuntur, concurrentem jurisdictionem cum
Camera habuisse videtur; ut hæc cum judicio aulico.
Quod Caspar Leopoldus *Dissertatione de concurrentia Juris-*
ditionis in Imperio R. Germanico, Quest. 8. circa finem et-
iam observavit. Sed D. Mauritius de *Judicio Rothweilensi*
Dissert. §. 2. limitat hanc cognationem Jurisdictionis cum
Consilio Aulico, ad illa tantum tempora, quibus Regimen-
tum

tum viguit. Alias vero *Paurmeisterus de Jurisdic. Imper. Roman. lib. II. cap. 6. §. 197.* recte animadvertit, magnum esse discrimen inter Senatam Aulicam Cæsaris, & Regimentum. Quod, si quis horum Judiciorum inter se comparisonem, juxta præscriptas Ordinationes instituat, facile etiam admittitur. Interim vero negari nequit, multa negotia, quæ curæ Regimenti olim committebantur, hodie in Judicio Cæsaris Aulico, aut Camera Imperiali tractari atq; executioni mandari solere. Quanquam causæ quædam ad Judicium Aulicum pertineant, quæ a Camera judicari nequeant: ut Causæ Feudales Feuda Regalia, concernentes, causæ Italicæ, confirmationes Privilegorum, Veniæ ætatis concessæ, Restitutio Famæ, tum quoque Causæ Criminales Statuum Imperii. v. *D. Mauriti Disserat. de S. Cæsar. Maj. Judicio Aulico §. 13. Paurmeister. de Jurisdic. Imp. Rom. l. II. c. 6. n. 176. seqq.* Optime de partibus potestatis Regimento concessæ judicari potest, si quis jura annuorum Comitiorum, quæ ex Maximiliani I. constitutione, *supra §. 10.* allegata illi tributa fuerunt, expendat atque percenseat. Quæ tamen à Carolo in nova Regimenti institutione restricta & limitata quodammodo fuerunt.

§. 14.

In describenda enim Regimenti potestate, Maximiliani I. & Caroli V. tempora utique distingvenda veniunt. Nam is majorem minusque restrictam potestatem ei concesserat: Hic vero dum sibi & comitiis, quædam jura reservavit, eo ipso Regimenti potestatem limitavit atque jurejurando etiam Assessores sibi obstrinxit, ut sua in illo autoritas reluceret. Quod, dum *Hippolitus part. II. cap. V. sect. 2.* animadvertit, nimium id exaggerando, ad invidiam Cæsaris trahere molitus est: quasi omnia ad ejus nutum

tum in hoc senatu geri oportuisset. Quanquam, ut incon-
stans hac in parte hominis philosophia est, jam detrahat
Cæsari, jam addat nimium. In quibusdam *Pauermeisterum*
consentientem habere videtur. v. *libr. II. c. 6. n. 194. 195.*
in multis tamen ille etiam in hoc genere Hippolitho ad-
versatur, quæ omnia transcribere hic superfedemus.

§. 15.

Assessorum in hoc Senatu numerum, jam ex Maximi-
liani & Caroli institutione supra §. 6. adduximus. Sed
ordo & qualitas eorum quoque describi merentur. Quod
ordinem attinet, Senatus hujus *Caput* fuit ipse *Imperator*;
eo vero absente, ejusdem Vicarius *Stadthalter* / Orator,
Electo Secularis, vel ad minimum Comes aut Baro Impe-
rii ejusdem Præses erat, juxta *tit. citat. §. 1. & 12.* Assessorum
& Consiliariorum XXII. Ordo & qualitas tum in instituti-
one Maximiliani I. a. 1500. *tit. Wie zwanzig Personen in
das Regiment genommen sind* / tum Caroli V. §. 12. 13. 14.
seqq. determinantur. Primo enim nominantur SEX
Electores, ex quorum numero unus per quadrantem anni
illi assidere, & si elapso hoc tempore discedat, alius ejus
locum suppleat juxta *Ordinationem Caroli §. 11.* Ubi etiam
additur, quod præsentem Electore, Assessor ab ipso constitu-
tus, jure suffragii carere debeat. Observat hic *Arumæus*
in libro de Comit. c. IV. §. 51. pag. 141. singulari nota, sex Ele-
ctorum fieri tantum mentionem, septimumque, qui est
Rex Bohemiæ, excludi, quod in Comitibus annuis locum
non haberet. Quanquam Ladislaus, R. Bohemiæ jus suf-
fragii in electione Regis Romanorum Maximiliani I. sibi
præreptum, bello adferere ausus est. *Hartmann. Maur. de
Coronat. Caroli V. tit. Quo apparatu &c.*

§. 16.

Deinde reliqui Assessores, qui *Consilarii*, *Senatores*
& *Regentes* in decreto Augustano appellantur, hoc modo
ac

ac ordine constitui debebant. Carolus *quatuor*, duos, ut Imperator; duos vero, ut Status Imperii propter provincias Austriacas & Burgundicas, ordinandi jus sibi reservavit §. 14. Quisque sex Electorum jus eligendi *unum* habebat: reliquos vero *duodecim* Senatores in supra dictis Comitibus Wormatiensibus hoc ordine eligi, decretum fuit. *Quatuor* nempe *Prelati*, quorum singuli mutatis vicibus, ut Electores & Principes, Regimento per quadrantem anni assidere jubebantur: Ex ordine autem Comitum & Baronum Imperii *unus* denominandus erat. Et ne Civitates Imperiales a Senatu hoc exclusæ viderentur, Colonia Agrippinæ, Augustæ Vindelicorum, Argentorato, Lubecæ, Norinbergæ, Goslaræ, Francofurto & Ulmæ, singulis anni quadrantibus *duos* cordatos & prudentes (*zwo redliche und verständige Personen*) vocandi jus tribuitur. Reliqui *sex Assessores*, e sex Imperii Circulis, qui §. 20. sqq. determinantur, ex Ordine Equestri, Doctorum & Licentiariorum, a Principibus Imperii legi atque constitui debebant. Ubi etiam, quod hos attinet, a Carolo §. 14. sancitum legitur, *duos* ex eorum ordine, *Ecclesiasticum* unum, alterum *Secularem*, ipsosmet debere vicibus, singulis anni quadrantibus, mutatis, eo, quo Electores, ordine assidere. confer Maximiliani ordinationem Regimenti, *§. wie zwanzig Personen in das Regiment genommen sind.*

§. 17.

Si autem contingat, unum vel alterum Assessorum a Principibus Imperii constitutorum vita excessisse; aut si etiam propter imbecillitatem quandam muneri huic gerendo parum sit idoneus; Vicario Cæsaris, seu Præsidi cum Regimento jus tribuitur ex illo circulo, quo prædecessor lectus fuit, alium surrogandi. §. 29. Eodem modo & sex Electores, si quis ex suis forte Assessoribus in fata con-

concederet, aut alia de causa discederet, intra duos menses alium in ejus locum eligere jubentur. Ubi vero ex numero, quos Principes constituerant, duodecim Assessorum quispiam fato fungeretur, hujus locum ex voluntate Præsidis & Regimenti alius cordatus & prudens vir juxta ordinem supra designatum suppleat. §. 30. & Maximiliani ordinat. a. 1500. §. Ob der zwölfferklesten Fürsten einer oder mehr tods abgiengen/ wie man andere erkiesen soll.

§. 18.

Omnes hi Regimenti Assessores juxta ac Secretarii & Scribæ fide, qua Dominis suis ante obstricti fuerunt, soluti, jurejurando (cujus formula §. 34. recitatur) una cum Præside, fidem & operam suscepto hoc munere, sancte adstringere Cæsari tenebantur. v. §. 33. 34. Qui hac in parte negligens aut inobediens fuisset, pœnas Cæsari dare jubebatur §. 36. 37. 38. Omnes etiam, qui Regimenti membra audiunt, cum ministris suis ac famulis ab omnibus tributis & vectigalibus declarantur immunes. §. 39. In sententiis dicendis, ut in aliis Collegiis, major suffragiorum pars semper prævalere debebat; nisi ubi res gravioris momenti inciderent. Quo casu etiam alii Principes ac Ordines Imperii in consilii societatem vocandi erant, §. 12. Unde inter alia constare potest, parem Regimento cum Comitibus universalibus auctoritatem in omnibus negotiis publicis, hautquaquam fuisse; nec illud, quod Hippolitus à Lapide de Rat. Status P. II. c. 4. Sect. 2. contendit, universa Comitibus & totum Imperium repræsentsasse.

§. 19.

Decreta & mandata Regimenti, sub Cæsaris titulo atque sigillo emanabant, subscriptis hisce verbis:
Ad mandatum Domini Imperatoris in Consilio Imperiali,
C
ad-

adscripto etiam nomine Præsidis & Electoris , qui Regimento tum præesset; ita: *N. vel N. sst: &c.* Quod, si non fieret, decreta & mandata promulgata invalida declarantur. §. 31.

§. 20.

Hanc Regimenti constitutionem a nobis recensitam in publicis Comitibus Wormatiensibus a. 1521. omnes, qui magno numero præsentis erant, Electores, Principes ac Status Imperii solenniter approbarunt, perque modum pacti aut contractus receperunt, simul sancte pollicentes, quod hujus Regimenti decretis & mandatis parere velint, juxta *clausulam finalem* §. 40. Bekennen und thun kund allermänniglich hiermit in Krafft dieses Brieffs / für uns / unsere Nachkommen / Erben / und von derowegen wir Gewalt haben / daß umb oberzehlte Ursachen / auch damit wir / und unser jeder bey seinen Ehren / Würden / Freyheiten / so nicht wider diese Ordnung wären / Fürstenthum / Herrschafften / Landen / Leuten / und Regierungen / bey dem H. Reiche bleiben mögen / darbey wir auch einander handhaben sollen / solche Ordnung und Regiment / mit unsern Willen / Rath / zusagen und annehmen / durch die Röm. Kayserl. Majestät / unsern allernädigsten Herrn geordnet / fürgenommen / gemacht / und in diesen gegenwärtigen Vertrag / Contract und Verpflichtung verfaßt ist / und daß wir uns derhalben mit Ihr Kayserl. Majestät verbunden und verpflichtet haben : Verbinden und verpflichten und verstricken uns also hiermit / und in Krafft dieses Brieffs / gereden und versprechen auch / wir Chur-Fürsten und Fürsten / bey unsern Fürstlichen Ehren und Würden / und wir andere obgemeldte Stände / in guten wahren Treuen und Glauben / an Endes Statt / dieser Ordnung / und dem Kayserlichen Regiment Folge zu thun / und dem Stadthalter und Regiment / in Verboten

boten und Geboten / so in Krafft diß Befehlichß ausgehen
werden / gehorsam zu seyn / und die zu vollziehen / alles getreu-
lich ohn Gefährde.

§. 21.

Quam Regimenti formulam omnium Statuum Im-
perii nomine, Principes ac Ordines sequentes sigillis suis
appensis munierunt, *Albertus*, Archi-Episcopus Mogunti-
nus & Elector, *Ludovicus*, Palatinus, Electorum nomine;
Georgius, Episcopus Bambergensis, & *Fridericus* Palatinus,
Ordinum Ecclesiasticorum & Secularium Principum no-
mine; *Rüdigerus*, Abbas Weiseburgensis, Prælatorum
nomine; *Reinhardus*, Comes Leiningensis, nomine Co-
mitum & Dynastarum Imperii, *Consul Wormatiensis*,
nomine Civitatum Imperialium. Quibus tandem no-
men suum ipse CAROLUS Imperator, & ad mandatum
ejus proprium ALBERTUS, Card. Mogunt. Archi-Can-
cell. subscribere d. XXVI. Maj. A. CHR. M. D. XXI. Un-
de *Paurmeisterum de Jurisdic. I. R. l. II. c. 6. §. 195.* errasse
puto, quod potestatem Regimenti in Caroli constitutione,
a Cæsare tantum & ad Cæsaris solius, non Imperii nego-
tia, tributam illi fuisse, scribit. Certe non tan-
tum ex §. *anteced. 20.* ubi ordinatio Regimenti vim pacti
aut contractus habere dicitur; verum etiam ex memo-
rata jam subscriptione adparet, non a solo Imperatore, sed
Ordinibus simul potestatem suam accepisse Regimentum.
Quæ enim ipse de statu Aristocratico hîc philosophatur, ad
Ordinationem Regimenti veteris adplicari nequeunt.

§. 22.

Atq; ita augustus hic Senatus Imperii, qui cum Amphy-
ctionum olim in Græcia Consessu, aut Achæorum Conci-
lio quodammodo comparari posset, magna quidem cura
& autoritate institutus legitur. Verum si historiam infe-

quentium temporum inspicias, tantum, quantum sperabatur, usum & auctoritatem, neque Maximiliani I. neque Caroli V. tempore habuit. An Cæsaris, an Ordinum Imperii, an utriusque partis culpa, infra dicemus.

§. 23.

Personatus scriptor non incelebris, *Hippolitus a Lapide*, cum libro de *Rat. Status in Imperio Romano-Germanico part. I. c. IV. sect. 4. & part. II. c. IV. & V.* de Regimento hoc agere instituisset, historiam perpetuo vitiavit, & verba Ordinationis Regimenti cavillando torfit ad scopum, quem habuit propositum; nempe in Imperio nostro esse statum Aristocraticum, monarchica tamen administratione ex parte temperatum. v. *libri ejus part. I. c. V. & part. II. c. V. sect. I. pag. m. 376.*

§. 24.

Verum, quæ incrustandæ suæ sententiæ ex historia Regimenti adducit, aut verborum cavillationes, aut apertæ detorsiones sunt. Nam falsum primo est, in *Regimento* Imperatori seu ejus Vicario solam directionem & unicum votum competiisse; cum clarissimum sit, Regimentum fuisse Imperatoris & Imperii, *tit. Von den Zwanzigen / so zu der Königl. Majestät / und des H. Reichs Regiment geordnet.* Deinde Assessores singuli Imperatori jurejurando obstricti fuerunt *tit. des Regiments Râth End.* Perperam ille *part. I. c. IV. Sect. 4.* jus majoris partis in suffragiis dicendis urget. Non enim *tit. Das Regiment mag ic.* majora Assessorum tantum ponuntur; sed Cæsaris vel præsentis, vel, si absit, ejus Vicarii expresse & illa eminente vi ac auctoritate, ut in omnibus titulis, requisita voluntas & potestas, alteram & potiozem hujus collegii partem constituens. v. *tit. Wie der Churfürst ic. & tit. Wie das Regiment erlauben mag.* Corrupte etiam *Hippolitus*

n. 13. omnem Regimenti autoritatem ab Ordinum voluntate suspendit; cum voluntas Cæsaris & mandatum ac delegatio, singulis fere titulis inculcetur. Imo, Imperator suo nomine inhibere, & in irritum revocare, quæ alia, quam præscripta forma, consultata aut decreta fuissent, potuit. *tit. Wie alle Sachen* &c. Ibi: Und setzen / ordnen und wollen auch darauff männiglich befehlen. &c.

§. 25.

Argumentum, quod *Hippolitus* citato loco a subrogatione, seu, quod Regimentum Comitii subrogatum sit, petit, ac pro adstruenda sua sententia imprimis urget, fallere, *D. Sluterus in Animadversionibus ad hunc locum ostendit.* Fortius vero *Bæclerus in suis Animadversionibus p. 61.* vim ejus infringit. *Primum* enim ostendit, aliud esse *occasionem* instituendi Regimenti, ubi de frequentia Comitiorum mentio fit, *tit. Von den Zwanzigigen:* aliud *surrogationem* Regimenti in locum Comitiorum, quæ per Regimentum non sublata sunt. v. *tit. Das Regiment mag* &c. Ibi, *Oder ob es die Grösse der Sache erfordert.* Ex historia enim Comitiorum tum Maximiliani, tum Caroli V. constat, ipsis imperitantibus, Regimento adhuc durante, multa Comitia esse habita, quibus sane opus non fuisset, si Regimento par cum Comitii potestas fuisset. Deinde instantia *Bæcleri* fortissima est adversus majorem propositionem argumenti ab Hippolitho allati: Deputationi, inquit *Bæclerus*, Imperii aliquando committuntur negotia Imperii; ergo Deputatio surrogata est in locum Comitiorum (& quidem cum pari potestate.) Quod absurdum esse, quis non videt? Confer *Autorem der Grund-Reste part. III. cap. VI.* *Accedit*, quod Regimentum egerit ex commissione: Cæsar vero & Ordines in Comitii solennibus vi propria. Et quidem ita; ut Assessoribus

Regimenti ex numero Ordinum, Cæsar etiam committat & mandet. v. tit. Wie alle Sachen/ibi: Daß die Händel und Sachen in dieser Commission begriffen ꝛ. Unde adparet, Cæsaris quodammodo majorem fuisse in Regimento, quam in Comitiiis potestatem; nempe quatenus non suo tantum & proprio jure in eo egerit: sed etiam qui in Regimento ex Ordinibus (vel præsentibus persönlich/vel per legatos) adfuerunt, delegarit agendi facultatem suo & Imperii nomine, cum in Comitiiis Ordines agant jure proprio, non delegato.

§. 26.

Præterea Hippolithus infra part. II. cap. IV. n. 2. non tantum Maximilianum I. fictione falsæ causæ instituti Regimenti criminatur; sed etiam n. 3. & 4. de Præsidiatu, quem vocat, Cæsaris imperite & corrupte pronunciat; quasi Elector una cum Imperatore aut ejus Legato, Regimento præsedisset; cum tamen Cæsar aut ejus Legatus, vel Orator non tantum ut *Præses*; sed, ut qui alteram potestatis partem, & quidem majorem teneret. v. tit. Wie der Churfürst für Ausgang ꝛ. Perperam quoque huc n. 5. & 6. exemplum Græcorum ex Bodino, de *περβέλοις*, & corrupta, voce *περοκλήτων* (ipse enim *περοήλυται* habet) traxit. *περβέλοι* enim, Atheniensium Senatores cum Regimenti Assessoribus comparari non possunt; cum status Reipublicæ Atheniensis longe diversus à Germanico fuerit, & illi *περβέλοι* deliberationis capita ad populum referre tenerentur, quod secus longe in Regimento factum est. v. D. Sluteri *Animadvers.* p. 286. *sequ.*

§. 27.

In Carolum V. Imperatorem quoque Hippolithus cap. V. Sect. 2. injurius est, quando ejus reformationem Regimenti, *deformationis* arguit, ac Ordinibus Imperii in frequen-

quentissimis Comitiiis præsentibus *Oscitantiam* ac *Conniventiam* tribuit. Certè ipsa formula seu *Ordinatio Regimenti* magna & matura cum deliberatione & consensu tot Principum præsentium composita, aliud testatur. Ac licet Carolus quædam in Maximiliani, avi sui Ordinatione Regimenti mutavit; temporis tamen & rerum mutatio id postulasse videtur: præsertim cum Ordines Imperii illam mutationem non abnuisse legantur. Prolixius errores ac criminationes Hippolithi dilueremus, si nobis hic prolixioribus esse liceret. Recte *doctissimus Bæclerus* inconstantiam in ejus Philosophia notavit. Si res ad invidiam Cæsaris trahi potest, solus Cæsar fecit; si Cæsareæ potestatis ratio habetur, nihil illi Cæsar fecit.

§. 28.

Nos quasi e diverticulo in viam revertentes ea prius adhuc paucis attingemus, quæ de Regimento ejusque cura ac usu potestatis post instaurationem a Carolo V. factam, in historia Comitiorum leguntur annotata, quam ejusdem finem describamus. A. 1521. edictum de jure succedendi liberorum, fratrum defunctorum, vel sociorum in relicta a patruo amitave, seu avunculo materterave bona, an inter se in capita, an stirpes dividere debeant, publicavit. v. *R. Imp. Norimb. 1521. in fine.* In Comitiiis Norimbergensibus A. 1522. executio sententiæ contra violatores pacis publicæ Regimento mandatur, cui *numero XIV. & XXI.* par cum Camera potestas tribuitur. Circa *finem R. Imp. Norimb. allegati* Ducibus Circulorum Imperii, ut decretis Regimenti pareant, a Carolo V. imperatur. In Comitiiis Norimberg. a. 1523. cura belli adversus Turcas suscipiendi, Regimento committitur, v. *n. 1. & 2. sqq.* In Comitiiis Esslingensibus a. 1526. Philippus, Marchio Badensis, Præses Regimenti, nomine Cæsaris periculum belli Turcici congregatis

gatis Ordinibus expendendum proposuit. Ubi tamen §. 10. *seqq.* in curæ hujus societatem alii Electores & Principes assumuntur. In Comitibus Norimberg. a. 1524. cura monetæ, monopoliorum & officinarum typographicarum §. 25. 26. 27. 28. item cura Religionis §. 29. eidem tribuitur: in Spirensibus a. 1526. de conservatione Regimenti consultatur §. 16. sed §. 24. animadvertitur, Regimentum & Cameram indigere visitatione & reformatione: in Ratisbonensibus a. 1527. Wolfgangus, Comes Montfortensis, Præses Regimenti, Imperatoris autoritate belli Turcici periculum Ordinibus Imperii præsentibus exposuit. In iisdem Comitibus §. 17. Regis Angliæ ad Regimentum literæ memorantur datæ, quibus ille auxilium contra Turcas pollicetur. In Spirensibus Comitibus a. 1529. Regimento potestas ingruente bello Turcico, concessa fuit eligendi & constituendi Duces belli contra Turcas gerendi. v. R. J. §. 18. Meretur cum allegata ex Recess. Imperii historia, *Goldasti Tom. III. Constitution. Imperial. fol. 495. 498. seqq.* conferri. Qui, res majoris momenti *Cæsareo* Regimento commissas, (ut *Ordinationem Criminalem*, quod hominis honorem, corpus, vitam & fortunas concerneret; & alia, quæ res singulorum Ordinum attinebat) cæteris quoque Imperii Principibus & Ordinibus, ante publicationem, ad examinandum communicandas fuisse, *fol. 500. n. 31. seqv.* memorat.

§. 29.

Occurrunt in historia etiam exempla, quæ Regimentum iniquitatis aut erroris postulant. Hinc in causa Francisci Siccingii, Equitis in Nobilitate Germanica inter primos, illius mentio non adeo præclara fit. Cum ille conivente Carolo V. Trevirensi Archi-Episcopo, Richardo, bellum indixisset, quod duos subditos Archi-Episcopus, ne *λύτρον* promissum solverent, pro quibus, rogatu illorum, fidem

fidem interposuerat, vi prohiberet. Inde Trevirensis factum cum Palatino Ludovico, & Hasso a. 1523. foedere, summa ope bellum contra hunc parabat. Franciscus contra multum moliebatur, magna ubique expectatione de se concitata. Adparebat enim, si illi res succederet, oppressurum esse Principes aliquot profanos una cum Episcopis. Bellum tamen istud mox cum morte Siccingii extinctum fuit. v. *Chytrai Chron. Saxon. fol. 299. sequ.* Interim cum Regimentum Siccingii molitiones non mature inhibuisset, ipsa foederatis in Comitibus vehementer accusatum fuit, quod Frobenio Hutteno, ab illis spoliato, patrocinaretur. Mentio hujus Hutteni fit in *R. Imper. Norimberg. a. 1524. §. 23.* Accedebat invidia erga Assessores, quorum aliqui novae Reformationi studebant: Schvartzenburgius, puta, Planitius, Electoris Saxoniae Consiliarius & alii. Itaque licet gravissimis excusationibus gesta sua tuerentur Regimenti Assessores; evictum tamen fuit, in foederatorum tam Svecicorum, quam Rhenanorum gratiam, ut omnes, (honesto licet obtentu, quod tributa eorum salariis destinata cessarent, & nova post aliquot menses demum conferenda essent) dimitterentur. v. *B. Seckendorffii Hist. Lutheran. lib. I. Sect. 58. §. 163.*

§. 30.

Alii tamen postea ad restitutum hoc Eslingæ Collegium denominati fuerunt Assessores, Romanae omnes factionis. conf. *R. Imper. Norimberg. a. 1524. §. 2.* Planitius autem ante dimissus, ab Electore Saxon. Friderico eò ire iussus fuit; ut protestaretur adversus ea, quae libertati & religioni noxia decernerentur; simul tamen profiteretur, quae ad pacem & justitiam spectant, & Wormatiae a. 1521. conclusa fuerant, Electorem sedulo etque exacte cum Fratresuo servaturum esse. Quo tempore, cum Eslingæ Regimentum

D

men-

mentum (Sleidanus *Imperii Praefectos* vocant) esset, Fridericus Palatinus & Philippus Badensis, Januario mense a. 1524. exaratis literis, Senatum Argentinensem monent, ut ab incepto Reformationis studio desistat, & omnia sua loco restituat. Ad quas Regimenti literas, Argentinensis senatus respondit, omnia accusationis capita diluendo. v. *Sleidanum lib. IV. Comment. p. 108. § III.*

§. 31.

Postea Argentinenses muniendi sui causa, quo vim injustam a se suisque depellerent, a. 1529. cum Tigurinis, Bernatibus, Basiliensibus, qui & vicini erant, & doctrina magis conveniebant, foedus mutuae defensionis gratia fecerunt. Hoc ubi Regimentum, cui tum praerat Fridericus Palatinus, rescivit; datis iterum literis ad Argentinenses, novum ipsis foedus exprobrans: id sibi cum primis mirum videri, eos videlicet, qui sunt imperio devincti, sine consensu Caesaris & Ordinum Imperii, foedus ullum inire cum aliquibus: & quanquam plerique omnes confirmant; non tamen prius fidem habere se voluisse, quam ab ipsis rem omnem cognoscant: itaque petere, ut sibi, qui Caesaris locum obtineant, clare perscribant, quid rei sit, & quibus conditionibus pacti sint. v. *Sleidan. l. VII. p. 181.*

§. 32.

Exposuimus ita Regimenti originem, indolem seu formam, jura, gesta atque fata. Restat, ut causas, quas propter cessavit aut extinctum fuit, breviter perstringamus. *Hippolithus* pro iniquo suo in Caesarem affectu, de *Ration. Stat. part. II. cap. V. Sect. 2. § 5.* haud obscure causam in ipsum Caesarem conferre videtur; quod Monarchiam molitus esset novam. Ita enim *sect. 2. all. p. m. 377.* loquitur: *Licet autem Regimento multa hoc modo a Carolo V. detracta sint; attamen cum illud, quia continuum erat, omnibusque suis*

suis actionibus sine intermissione invigilabat, adhuc conatibus
 suis obstare cerneret; ut penitus oblitteraretur, ac in desuetu-
 dinem veniret, procuravit. Id quod accidit circa annum 1530.
 crescente Caroli autoritate & potentia. Quando nempe ple-
 rorumque Electorum vota ambitu suo expugnavit, ac Ferdi-
 nandum Fratrem Roman. Regem eligi fecit, quo ipso, Impera-
 torie dignitatis, in familia sua, quasi hereditario jure continu-
 anda firmissimum jecit fundamentum. Et causa quidem sub-
 lati ac destructi Regimenti, a parte Caroli Imperatoris, fuit
 affectatum Imperium Monarchicum, cui in aliis Regnis ac pro-
 vinciiis hereditariis assueverat. Hic autor suspensiones loco
 probationum affert, convitia solita repetens. Constat
 enim priores Cæsares Austriacos magis monarchice, id-
 que jure non controverso, imperasse. Male ergo gradus
 potentiae Austriacæ a cessatione vel extinctione Regimen-
 ti derivat Autor totus partium studio abreptus. Videtur
 Hippolitho hic Pauermeisterus verba præivisse. Nam
 ille §. 194. scribit: *Aristocratici Regiminis istius destructi,*
solum Carolum in aliis regnis ac provinciis hereditariis, affe-
ctati imperii monarchici causam fuisse. In quam senten-
 tiam Julii Pflugii Episcopi Naumburgensis verba ex oratio-
 ne gravissima de *Republ. Germania*, sive imperio constitu-
 endo allegat. Enimvero utut Carolus Regnum stabilire
 in Germania molitus sit; ante ipsum tamen introducto Re-
 gimento, aristocraticum statum fuisse formatum, nemo ac-
 curatæ Politices peritus dixerit. Nec Pflugius, qui in ora-
 tione sua vitia Germaniæ tangit, id probare ausus est. Vul-
 go quidem pro aristocratia in Germania asserenda Alberti
 Moguntini dictum apud *Sleidanium l. i. comment.* adfertur.
 At Archipræsulem illum *παχυλῶς* locutum esse, alii jam
 animadverterunt. Sensus ejus dicti *Monzambanus de statu*
Imp. Germ. c. 6. optime evolvit. Ille utut in commodis vo-
 cabulis

cabulis expressus, in se perspicuus est; scilicet si præsentem suam conditionem ament Germaniæ Principes, cavendum sibi esse ab Imperio Galli (Francisci R.) qui cum in proprio regno procerum conditionem ad exquisitæ leges monarchiæ redigere laboret, Germanos in Principes, sine dubio similia sit tentaturus.

§. 33.

Nobis historiam consulentibus verisimilius videtur, ipsos Imperii Ordines in causa extincti Regimenti fuisse, tum quod in suppeditandis sumtibus conservando Regimento necessariis segnes essent, tum quod Regimenti decretis parere detrectarent. Hanc enim causam ipse Imperator, cum Ferdinandum fratrem Regem Romanorum creari vellet, apud *Sleidanum lib. VII. circa finem allegavit.* Nec abnuerim, quod *Hippolitus cit. loco* addit, dissidium e Religione circa ista tempora maxime invalescens Ordines Imperii in partes traxisse: ut Regimenti, quod ex Romano-Catholicis Senatoribus constabat, auctoritatem parvi penderent. At, quod Ordines hac in parte fatalis & fatuæ cujusdam socordiæ incusat; quasi extincto Regimento, rem inæstimabilem, libertatem sibi eripi passi essent; id impudens & iniqua criminatio est, cum frustra jactat, Regimentum libertatis Ordinum fulcrum fuisse. Per-enim-notum est ex supra dictis, parem non tantum Cæsaris cum Senatoribus in Regimento fuisse auctoritatem; sed Ordines non paucos a multis Imperii deliberationibus in Regimento fuisse exclusos. Quam ergo libertatis jacturam Ordines sublato eo fecisse, perspicere non possumus.

§. 34.

Contemptus igitur ille Regimenti Carolo V. non adeo displicere potuit; quippe qui observaverat, negotia a Regimento hæctenus tractari solita, posse vel a Camera
Impe-

Imperiali, vel se absente, a Rege novo Romanorum creato, in Judicio Aulico expediri. Causa enim gravis nulla videbatur, cur præter necessitatem judicia essent multiplicanda. Præsertim cum durante adhuc Regimento, opus subinde esset Comitibus, in quibus res gravioris momenti tractarentur. Itaque, ut avo suo imperante, Maximiliano, a. 1512. comitia iterum, Regimento in desuetudinem, abeunte, in frequentiore usum revocata sunt; sic ipse quoque facile pati poterat, ut cessante Regimento, negotia Status publici vel in Camera, vel in Aula sua, vel in Comitibus transigerentur publicis.

§. 35.

Recte proinde *D. Mauritius Dissert. de Judicio Rotb-wilensi n. 2.* sentit: Senatam hunc (*Regimentum*) paucorum annorum ætatem habuisse, ac postremum ejus vestigium, quod hætenus reperire potuerit, illud esse, quod apud *Sleidanium circa initia anni 1530.* literas ad Argentinenses (quas §. antecedente 31. allegavimus) misisse dicatur. Asta. 1531. d. 24. Martii esse desierat, quod Reformatio Judicii Cameralis Spiræ a. 1531. facta, §. *Dieweil das Regiment gefallen/* clare satis docet.

§. 36.

Si tandem de sublato Regimenti usu, quis libere pronunciare velit, non absurdum nobis, dici posse, videtur; nec Ordines Imperii damnum inde aliquod libertatis sensisse; nec Imperatoris auctoritati quidquam accessisse, ut quidem *Hippolitus a Lapide de Rat. Stat. part. II. c. V. Sect. 2.* satis temerè arbitratur. Nam quod primo libertatem Ordinum attinet, tantum abest, ut ei quidquam hoc extincto decederit, ut cessante Regimento, illa potius aucta fuerit: quia cum vigeret, in eo non omnium Ordinum jus suffragii esset; & Electores etiam in illo non per classes, sed viritim

sententias, secus ac in Comitibus fieri assolet, ferre tenerentur. *Deinde* etiam non adparet, ut Cæsaris, qui juxta Caroli V. Ordinationem Regimenti, alteram eamque potiorrem hujus collegii partem, ut supra contendimus, constituerebat, potestas vel autoritas adstricta fuerit: imprimis cum ipse quædam jura sibi & Imperii Comitibus reservasset, de quibus Regimento constituere haut fuerat integrum. *Tandem* nec totius Imperii salutem ejus extinctione vel antiquatione derogatum fuit; cum quæ Regimenti agere propria fuerunt, vel in Camera Imperiali, vel in Judicio Aulico, vel in Comitibus tractari possint ac debeant. Quapropter nobis admodum verisimile fit, Ordines laudatos animadvertentes, Imperium salva utilitate publica, hoc Judicio aut Senatu carere posse, haut invito, ut in desuetudinem abiret & exspiraret, consensisse.

§. 37.

In abrogati Regimenti locum *Hippolitho part. II. c. V. Sect. 5.* & quibusdam aliis, Judicium seu Consilium Aulicum (*der Reichs. Hof. Rath*) surrogatum, visum est. Verum *Paurmeisterus l. c. §. 198.* jam annotavit, valde eos errare: *Ingens, inquit, est error, quod Senatus aulicus præsens in locum Regimenti ita sit successus, ut de utroque idem jus statuendum sit. Quod enim inter ea magnum sit discrimen, notum est omnibus, quibus Reipublicæ præsentis forma perspecta est.* Rationes quidem ille etiam negationis suæ subjungit varias; sed quæ minus videntur solidæ. Quapropter & eas allegare supersedemus; cum historia testis sit, illud ante Carolum V. viguisse. Apud Goldastum legitur ordinatio Friderici II. Imperatoris an. 1236. qua constituit, daß *der Hof. Richter alle Tag soll zu Gericht sitzen.* A. 1342. ei Heidelbergæ Imperator Ludovicus Bavarus, Assessoribus Ruperto Seniore & Juniore Palatinis, aliisque Comitibus, Baro-

Baronibus, Equitibus & Nobilibus, quod patet ex diploma-
te Hermanni Marchionis Badensis, quod inter documenta
rediviva monasteriorum in ducatu Würtembergico sito-
rum edidit autor anonymus (qui est *Christophorus Besoldus*.)
Atque addit illi Notator, causas breviter consuevisse tum
exponi Imperatori, & quicumque circa illum erant Magna-
tibus, (qui magno semper numero aulam Cæsaream se-
quebantur) iisque sententiam suam dicentibus, tandem
secundum vota, quæ ipse saniora putabat, causam definire
solitum. Quin imo ad Maximiliani I. tempora, iisque non-
dum nato Camerali Judicio, ita in usu fuit, ut ad hoc solum
fere causæ Imperii devoluerentur. Nec quod Hippoli-
thus a Lapide cum pluribus aliis inepte existimat, dein-
ceps Maximiliani I. tempore desiit: quos manifesti nimis
erroris arguit R. Imp. Colon. an. 1512. §. Zum dritten/ ibi
nachdem täglich der Partheyen Handel und Sachen aus dem
Reich an unsern Kayf. Hof wachsen. Hinc Ferdinandus
III. in præfat. Ordinat. Judicii Aulici de eo memorat, daß
solches zu Beförderung und Vollziehung der werthen Ge-
rechtigkeit und Regiments im Römischen Reich von unvor-
dencklichen Jahren aufgerichtet. v. *D. Mauriti* Dissert.
de Cæsar. Majestatis Judicio Aulico. §. V. Si ergo ante Caro-
lum V. tempora illud in Aula Cæsaris receptum, non de-
mum ex abrogatione Regimenti subnasci potuit. Quan-
quam subsequens temporibus per novas Ordinationes
novam faciem induit. De qua *laudatus Mauriti* §. V. &
XIX. dissert. all. testatur. Ex qua & de ejus, & Regimenti
discrimine judicari potest. Nos telam abrumpimus, ac,
ut S. R. Imperium inter tot turbas ac imminetia pericula
fervetur, vigeat ac persistet ad illum usque diem, qui hoc u-
niversum hauriet, & tempus abolebit, DEUM precamur!

I. S. G.

QK Thk 1856

V I R O - J U V E N I
G E N E R O S O ,
D N . A D A M O F R I D E R I C O
a b E N D E ,
S . P .

MAle tuetur natalium decus, qui a majorum virtute desciscit. Virtus primum nobilitatem peperit, qua etiam servanda atque tuenda est. Gravissime enim omnes errant, qui laudem in sola origine suam quærunt, quæ aliena, non nostra putanda est. Incitare illa ad virtutem dignam generoso Juvene debet; ut decus a majoribus partum tueri studeat. Eam vera gloria comitatur, ad quam duobus præsertim itineribus itur; belli, puta, & per civiles ac mansuetiores artes, quas in scholis sapientum discimus. Tibi G E N E R O S E J U V E N I S , pro mansuetioris genii ductu, prosteriori via insistere placet. Ideo, quamdiu in hac nostra Philurea studiorum causa commoratus es, iis incubuisti artibus, non quas vulgus terere, & quæ ad tralatitiam eruditionem ducere solent; sed quæ erecta & generosa ingenia decent, vitæque magis & prudentiæ, quam Scholæ discuntur. Si dicere fas est, de conatu generoso hoc, ipsum argumentum, quod in publica cathedra defendere paras, testimonium perhibet, spemque facit; fore, ut aliquando patriæ bono regimenta capeffas. Enitere igitur, ut spem illam de Te conceptam impleas, imo superes. Ego Deum veneror, ut generosa conata Tua adjuvet, Tuisque studiis adspiret gratiam, quo genti Tuæ nobilissimæ aliquando sis ornamento & Matri generosæ solatio. Ita precor,

Tuus

Scrib. Lipsiæ XXIX. Mart.

M. DC XCIV.

Omni studio

A D A M U S R E C H E N B E R G .

107



B. M. II, 129.
h. 32, 10.

II R
1856

REC
S. I
L. ADAM
TO
II,
G, P.P.

ADAM
Lit

NDE,

10

